



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Caroli Scribani[i] Amor Divinvs

Scribanius, Carolus

Mogvntiæ, 1616

Cap. I. Assimilatio Amoris prima.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46242)

OPUS CAROLI SCRIBANI



AMORIS

DIVINI

PARS QUARTA,

VARIOS.

AMORIS AFFECTVS

continens.

CAPVT I.

*Assimilatio Amoris prima.*

Leoni.

Prou.

30.

1. Ma.

hab. 3.

isa. 31.



VI assimilabo te? LEONI dilecte mi. Similis enim factus es leoni, qui ad nullius pauebit occursum: & sicut catulus leonis rugiens in venatione, & persecutus est inimicos meos perscrutans eos, & qui perturbabant me eos succendit flammis: & quomodo si rugiat leo, & catulus leonis su-

per  
mul  
form  
pau  
vt p  
piat  
de m  
nim  
dam  
qui  
qua  
ea?  
ba  
gu  
fron  
des  
tuti  
pop  
tua  
& r  
nab  
um  
con  
plau



per prædam suam, & cum occurrerit ei  
 multitudo pastorum, à voce eorum non  
 formidabit, & à multitudine eorum non  
 pauebit: sic descendet Dominus exercituum,  
 ut prælietur super montem Sion, & cri-  
 piat vnicam suam, animam meam,  
 de medio persequentium eam. Leo enim rugiet quis non timebit? tenebit præ-  
 dam & amplexabitur eam, & quis erit  
 qui eruat eam? aut suscitabit post-  
 quam quiescens accubuerit super  
 ea? sed & cincinni tui tamquam iu-  
 bæ quæ nimbo plenz vento spar-  
 guntur, vt derorent deciduis guttis  
 frontem dilectæ prædæ tuæ, quam  
 despondisti tibi in sanguine iuuen-  
 tutis tuæ, cum persequerentur te  
 populi Gentium in ira Synagogæ  
 tuæ, & mouerent super te capita sua,  
 & retia panderent super te, & in ve-  
 nabulis gentium transfigerent latus tu-  
 um; & circumdarent te canes multi, & Ps. 21.  
 concilium malignantium obluderet te, Thren.  
 plauserunt super te manibus, & sibilauerunt, 2.

X. 4. & mo-



& mouerunt caput suum super te, & inuenabulis aperuerunt mihi tot uotis tot suspiriis, tot lachrymis desideratam domum dilecti mei, domum decoris tui. Cum rideret super te tamquam in interitu tuo, ignorantes repromissiones tuas perennaturi foederis tui, quas in aqua & sanguine consignabas. Tu quoque ridebis in interitu

*Irou. 1.* illorum, cum irruerit super eos repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit; quando uenerit tribulatio & angustia super persequentes me,

*Thren. 2.* qui fremuerunt dentibus & dixerunt, deuorabimus eum, en ista est dies quam expectabamus: uideamus quis rapiet eum, & saluam faciet animam eius. Tu ue-

*a Ps. 17.* rō<sup>a</sup> protector meus, <sup>b</sup> & merces mea magna nimis, <sup>c</sup> protector uita mea, & <sup>d</sup> suscep-

*c Ps. 26.* tor salutis mea, & <sup>e</sup>ceptor meus, cum

*d Ps. 88.* sis <sup>f</sup> protector omnium sperantium in te,

*e Ps. 90.* & a quo trepidabo? Si consurgant aduer-

*f Ps. 17.* sum me castra, non timebit cor meum: Si

*g Ps. 26.* exsurgat aduersum me praelium, in hoc

ego



ego sperabo. Vnam petii à te, hanc requiram, vt inhabitem in domo tua omnibus diebus vita mea in terra viuentium; in protectione fortitudinis & virtutis tuæ; in amoris tui domo, quam felicio odio referarunt mihi aduersarii mei, in inuidentiæ suæ cuspide. Dum cogitant per latus tuum vitam meam euellere, domum aperuerunt vitæ meæ. Nam dum persequerentur me aduersarii mei in armatura roboris sui; nec effugii iam locus superesset vilis, nec miserans qui tecto admitteret, referatis præter spem valuis, à maleuolentiæ lancea, tamquam fortunatissimis clauibus, patuit amoris domus certum iam iam interituræ animæ effugium, propugnaculum certum; in quo non metnam omnia agmina aduersantia, non tenebrarum principes, non omnem inferorum potestatem. Exturgant licet agmina & circumdent me exercitus seculorum, non timebo cinctus tam

Y. 5. vali-



validis propugnaculis amoris tui, dilecti Leonis mei. Neq; propugnaculum tantum mihi factus Leo meus, sed & deliciae meae, gaudium meum, lingua sua enubilans genas meas, maculas nimirum ruboris mei, erubescientiae maculas, criminum meorum colore tinctas.

Vnicorni.

Cui assimilabo te? VNICORNI, dilecte mi. Feri castitatis cornu pectus hoc dilecte mi, & inuenies cor hoc maiore est vulnere saucium, atq; ad eò vulnus vnum. Feri. Quid meuis? vulnera mihi vita sunt, & à tuo cornu omni vita meliora sunt, tantum confige validè in potentia virtutis tuae, ne superficiem tantum lege, imbellè & femineum vulnus. Odi vngues, quib. supremam cutem radas. Vnicornis es, trās adige costas, vt immoriar vulneri. Atq; vltimam hanc animam vulnere tuo sauciam, non exspuam aut deuomam; sed molliter dimittam in cornu tui aciem, inde

in



in frontem, in oculos, in os tuum; ut imbibas hanc animam amico haustu: misceaturq; animæ tuæ, aut veriùs animetur noua animatione animæ tuæ. Non repeto semel concessam, figat in domo tua habitacula sua tētoria sua, tectum suum, æternumque fruatur castis delitiis tuis, ingenti amoris tui vulnere faucia; cui nulla accedat medica manus, sed dextera tua sola, nouo semper vulnere beans fatiasque hanc animam solo vulnere pascendam.

Cui assimilabo te? **TIGRI** dilecte Tigri, mi. Veloces enim ad currendum pedes tui. Quis leget vestigia illorum? vêtus ego sum, insequar, sagitta qualis fugit manu: sed & Euro & Aquilonibus ocyor. Non assequar ventus Tigrim meam, quæ tamquam rapis catulis æstuat in amorem dilecti sui, currens in odorem eius? sequar veloces amati pedes, & super velocitatem tigris celeritas eius. Cælū tran-

Y 6 filit,



516 CAROLI SCRIBANI

filit, & relinquit infra se nubes, nec  
 vis vlla assequetur illum. In vno cur-  
 su votorum suorū, etiam cælos trans-  
 filit, & supra beatarum mentium se-  
 des figit torum suum. Ridet tela tan-  
 quam inertia, quacumq; manutenu-  
 sa, ridet ventos tamquam ignavos  
 quocumque Æolo spirante, quocū-  
 que Neptuno impellente; momen-  
 to temporis cælum terrasque maria-  
 que post se relinquens. Sed & illud  
 chaos ingens supra aquas, quæ supra  
 cælos sunt, positum, metitur vno  
 crine votorum suorū. Quis asse-  
 quetur eum? votorum meorum te-  
 la fugacia, quibus insculpam amo-  
 rem meum, adeo que amantem hanc  
 animam, vt in quemcumq; se profu-  
 gus receperit locum; in illum emittā  
 votiua tela mea; nec quiescere patiar  
 donec amplectar eum, saucium iam  
 telo meo; ebiberimque beata iam sa-  
 gitta purpureum amoris mei rorem  
 æternūm satiandus.

Cui



Cui assimilabo te? CERVO, dile- Ceruo.  
cte mi. Factus enim es tamquam  
ceruus sitiens, decurrens ad fontes  
aquarum in die desponsationis san-  
guinis tui, die magno & amaro val-  
de. Non potabo te aceto dilecte mi.  
Dedi enim capiti meo aquam, & oculis *Jer. 9.*  
meis fontem lachrymarum, & effudi si- *Thren.*  
cut aquam cor meum ante conspectum <sup>2.</sup>  
tuum, dum expectans expecto te  
dilecte mi, vt sitiens bibas, & restin-  
guas amoris æstus, quousque ludis  
amantem & sitiens non bibis? idcirco *Thren.*  
ego plorans, & oculus meus deducēs aquas, <sup>1.</sup>  
quia longè factus est à me consolator con-  
uertens animam meam. Bibe dilecte mi  
& inebriare ab vbertate contriti cor-  
dis huius; satiare ab vbertate aqua-  
rum, quas dederunt oculi mei, ne  
fons aquæ fiat in me fons sanguinis,  
in amaritudine expectationis tuæ.  
Sed & pone vicissim pedes meos tam- *Ps. 17.*  
quam ceruorum, & super excelsa deduc  
me in psalmis canentem. Nam & ego *Hab. 3.*

VT



Ps. 41. vt ceruus ad fontes aquarum, ita deside-  
 Ps. 35. raut te sitientis animæ solamen vni-  
 Can. 3. cum. Tu enim es fons vitæ, fons horto-  
 rum, puteus aquarum viuentium, quæ flu-  
 Ecol. 24 unt de Libano; tu fluuii dioryx, & sicut a-  
 quæ ductus de paradiso, satia hunc cer-  
 uum, & riga hunc hortum plantatio-  
 num amoris tui, vt fiat trames in me-  
 fluuius exundans in mare magnum  
 amoris tui. Sitiuit enim siti magna a-  
 nima mea ad te Deum meum dile-  
 ctum, fontem viuum, quando ve-  
 nies, & effundes amoris tui aquas su-  
 per sitientia corda, & labra dilectio-  
 nis tui? quando effundes spiritum roris  
 tui super seruum tuum, qui tanquam  
 gramen matutinum clamat ad te  
 cupiens impinguari à pinguetudine  
 roris tui; vt tueatur se aduersum æ-  
 stum meridianum, æstum concupis-  
 centiæ carnalis, exedentem medul-  
 las ossium, ebibentem sanguinem  
 cordis mei. Quando effundes bene-  
 dictionem tuam super stirpē tuam,  
 super



super germen hoc hortorum tuorum;  
 prato: um virentium iuxta fluum  
 deliciarum tuarum? Numquid hæc  
 vox tua, vox tua dulcis & amica ni-  
 mis, vox amoris & dilectionis tuæ:  
*Si quis sitit veniat ad me? venio dilecte* Ioan. 7.  
 mi. Et ecce me. Da sitienti huic ani-  
 mæ *de fonte aquæ vitæ tuæ. Sitit n. anima* Apoc.  
*mea ad fontem tuum, fontem viuum,* 21.  
 quando veniam, & aperiam os me-  
 um, & hauriam *aquas in gaudio de fon-* Ps. 41.  
*tribus saluatoris mei? Nā qui te derelin-* Isa. 12.  
 quunt *fontem aquæ viuæ, & fodiunt* Jer. 2.  
*sibi cisternas dissipatas quæ continere non*  
*valent aquas, quid exspectant nisi vt*  
*exarescant siti, ac sicciant iterum? at*  
*qui biberit ex aqua quam tu dede-* Ioh. 4.  
*ris, non sitiet in æternum. Sed & aqua*  
*tua fiet in eo fons aquæ salientis in vitam*  
*aternam; & flumina de ventre eius fluent* Ioh. 7.  
*aquæ viuæ; vt conuertantur etiam ab*  
*impetu inundationis huius, rupes*  
*in fontes aquarum, & petreæ in stagna a-* Ps. 113.  
*quarum viuentium. Quæ densior ru-*  
 pes,

pes,



pes, quæ validior petra corde hoc peccatorum mole oppresso? ut euenerit. planè ab hoc pectore cor omne carneum, factumq; iam sit cor meum petra & rupes, omne ferrum ac chalybem respuens, solo flumine tuo molliendum. Illabere flumen meum, ut rupes hæc soluatur in fontem, è quo bibat & satietur sitiens ceruus meus, dilectus meus; sed & satiet ego fluminibus illius, ut vna denascatur aqua è flumine illius & fonte meo.

capree: Cui assimilabo te? CAPREÆ hinnuloq; ceruorum super montes aromatatum, dilecti mei. Quis sequetur salientem in montibus? ego hinnulus quid verear salientem, fugientem, ut satiet ab vberibus dilecti mei, vberibus lactis in montibus pigmentorum? odor enim dilecti mei, sicut odor malorum & pigmentorum omnis generis; sicut odor thuris, cypri & nardi, croci & cinnamomi, cum vniuersis



uersis lignis Libani; myrrha & alces  
 cum omnib. primis unguentis. Quis  
 non curret in odorem unguentorum  
 honorum? sed & ego quasi caprea est. *Eccl. 27*  
 fugiens de laqueo. Quoniam vulnerata  
 est anima mea, seu verus, aruit tam- *Psalm.*  
 quam testa virtus mea. Quis irrorabit  
 eam nouo rore? aut aqua salutarum hu-  
 mectabit emarcidam tamquam im-  
 bre, nisi ab uerberibus capreae meae?  
 pascas his uerberibus, pascas medica-  
 bulo hoc lacte ut exstinguas hanc ani-  
 ma mea, omni que meliore succo vi-  
 duata, reddatur sibi. Comederunt e-  
 nim alieni robur meum, scelera ni-  
 mirum & peccata daemone impulsore  
 nata. Quis reparabit amissas vires,  
 nisi tu dilecte mi, noua mihi facta  
 mater lacte nouo? o aeternum lacte  
 hoc pascas!

Cui assimilabo te? FORMICAE, di- *Formi-*  
 lecte mi, quae parat in aestate cibum *ca.*  
 sibi, & congregat in messe quod co-  
 medat; reponitque in horrea sua, qui-  
 bus



bushiemem toleret; fatigatq; labo-  
 ribus diem, adeoq; noctem ipsami-  
 nimica otio. Et tu in laboribus à tu-  
 uentute tua sudorib. pascere. en tibi  
 dilecte mi sudores meos, primitias  
 castæ desponsationis meæ. Quod si  
 non expleris aqueis; en tibi non iam  
 illos, quos molli puraq; bibas spon-  
 gia; sed riuos, & vlroneos sanguinis  
 torrentes dilecte mi: sponsus n. mihi  
 es sanguinis, & vestimenta tua rubi-  
 cunda, sanguine lota: lauer hoc san-  
 guine, vt & tu aspergaris meo. Nō q̄-  
 ro è strato, aut mollib. febribus calū;  
 è sanguine quero, vt verè non liceat  
 in amicas prorumpere voces, Spon-  
 sus sanguinum factus es mihi, dilecte  
 mi. non quero te in inerti otio; non  
 inter delicias & hortorum amœna.  
 In sudore vultus mei, & sudor me-  
 liore cordis mei purpura tincto, q̄ro  
 te. Parum est sudorib, immori, modò  
 te fruar amor meus; parū est sangui-  
 ne diffuere, modò tibi fluat hæc flu-  
 mina,



mina, saliant fontes cordis oculorū-  
 que meorum. Vt & ego formica for-  
 micæ meæ factus, seponam de die,  
 recondamque in horrea, dum vita  
 tempusq; sinunt, quibus in omni æ-  
 ternitate fruam, & tecum fruam amor  
 meus.

CAPVT II.

*Assimilatio Amoris secunda.*

**C**VI assimilabo te? PHOENICI, di- Phœ-  
nici.  
 lecte mi, qui te ipsum funerans,  
 flagris, hasta, spinis, clavis, odoratissi-  
 mo demū crucis ligno, amoris igne  
 decineratus, fœcundiore surgis se-  
 mine, spontanea vt morte, sic & red-  
 animatione singularis. neq; enim est  
 alius extra te singularitatis præroga-  
 tiua singularis, quamcumq; demum  
 generationem cogito; hanc de virgi-  
 neo lacte & vbere humanam, illam  
 de Patris sinu, & Spiritus obumbra-  
 tione diuinam; vtramque solam &  
 sine exemplo æternam futuram.

Ardeam.